

here præmitti rationes metaphysicas, nisi fiat, præjudicium esse.

144. Quam autem hoc male ipsi fuerint exsecuti, HEINECCIUS sententia lata decrevit, in præfatione ad suum Jus naturæ ac Gentium ita perorans: *Quicumque adhuc in pulcherrima illa disciplina versati sunt, illi doctrinas suas vel NULLI CERTO atque indubio principio superstruxerunt, veritates varias, easque utilissimas velut una fasce collegisse contenti; vel principia PARUM IDONEA admiserunt; vel denique tam longe ex subtilissimis, quas METAPHYSICA suppeditat, notionibus petierunt, ut DATA veluti opera TENEBRIS OMNIA INVOLVERE voluisse videantur.*

145. Igitur deducti fumus tandem ad extremam classem eorum, qui genus humanum à præjudiciis sanare contendunt. Hi præjudicium videntur dicere OMNE JUDICIUM CAPTUM ANTE RATIONEM DEMONSTRATAM, in quacunque materia speculativa ac practica.

146. Quid his sub cineribus lateat, jam exploremus. Idque faciemus ope versiculi Tulliani: *Quis quid ubi*, quæ facilis erit, ut in re abstrusa, methodus.

## QUIS

*Debet agnoscere rationes puras evidentes, ante quam judicium ferat, ita, ne hoc judicium dici possit Præjudicium?*

147. AN id incumbit omnibus hominibus?

Vereor vehementer, ut possint omnes.

148. Wolffii & Puffendorffii gratiâ eximuntur vulgus, & ii, qui per ingenii hebetudinem demonstrationes nectere ignorant. Talis enim homo valde impudens est, si sui cerebri dictatis, quatenus à RECEPTIS SENTENTIIS abeunt, aliquid tribuendum putaverit. Lib. II. Jur. Nat. Cap. III. §. 13.

149. Ex hoc mihi certum est, fere omnes homines non debere ante judicia sua agnoscere evidentes rationes; quia fere omnes homines per ingenii hebetudinem ignorant nectere demonstrationes. Nam ex doctissimorum hominum ordine unus est Puffendorffius, quod serio dico, non ironice: quod ergo contingit Puffendorffio, potest contingere aliis hominibus ejusdem doctissimi ordinis, nec ille doctissimus ordo eximit illos, sicut nec Puffendorffium exemit. Atqui Puffendorffio contigit, ut per

per hebetudinem ingenii ignoraret demonstrationes nectere, non obstante doctissimo ordine, in quo consistebat. Igitur & aliis hujus ordinis hominibus potest hoc contingere. Contigisse autem id non semel Puffendorffio, ostensum est in *Larva detracta* pluribus locis, præcipue Cap. XII. ac XIII.

150. De hominibus autem, qui in inferiore ingenii subsellio consistunt, dubium nullum est, quin ignorent nectere demonstrationes.

151. Quodsi dicas, Puffendorffium non constitisse in summo gradu doctorum, sed cum eum multi correxerint, & errasse ostenderint: ascendamus paulo altius. D. Wolffius, & alii illius similes, hi certe consistere debent in gradu supremo. His ergo convenit nihil judicare nisi demonstratum. Et sane Wolffius hoc in se donum agnoscit, gratias agens Deo, quod non sit sicut ceteri hominum, quod ipse sciat se errare non posse; quod agnoscat, dudum se supra hanc imbecillitatem evolasse: in *proemio Ethicæ Germanicæ*, seu *vernünftige Gedanken von der Menschlichen Vernunft*. §. 1110. præcipue quod D. Wolffius novæ etiam ac rigorosæ methodi demonstrativæ, & scientificæ sit auctor & inventor.

152. Verum D. Wolffii infelicitatem in nectendis demonstrationibus videre est in *Larva detracta* Cap. XVI. & Cap. XVII. Et in *Diatribæ de methodo Wolffiana*, maxime Cap. V. Probatione secunda.

153. Quod autem Wolffio contigit, id contingere etiam potest Wolffii similibus.

154. Quapropter tam, qui infimi sunt gradus quoad doctrinam, uti vulgus; quam, qui sunt medii, ut Puffendorffius; quam qui sunt summi, ut Wolffius, non habent vim ingenii sufficientem ad nectendas demonstrationes.

155. Igitur nec infimus, nec medius nec summus ingeniorum ordo debet ante judicium habere demonstratas rationes: non debet, quia non potest.

Summus, medius, infimus ordo complectitur omnes homines.

Omnes igitur homines non debent ante judicium tales rationes evidentes habere, quæ illos aberrare nullo modo patiantur.

156. Igitur, aut necesse est omnes homines debere fieri alios, quam nunc sint, si præjudicia ponere in hoc consistit, ut rationes tales ante judicium præcedant.

Aut est necesse, illud non statim debere dici præjudicium, cui non

non præcesserint rationes ejusmodi.

157. Et consequenter falsum est, præjudicia esse, quæ ex probabilibus & auctoritate longa, communi sensu, aliisque moralibus rationibus fluunt judicia.

158. An vero non omnes, sed aliqui tantum homines judicio præmittere debent rationes demonstrativas?

159. Qui autem sunt illi? in quo hominum ordine reperiuntur? in nullo, uti jam vidimus.

160. Sequitur, ut Novi aliqui homines, aut unus saltem tertius de cælo cato cadat.

161. Admonitiones itaque sollicitæ istorum de præjudiciis deponendis non tangunt hoc mortalium genus, sed aliud novum, ac fictum, si per præjudicium intelligitur *judicium, cui non sunt præmissæ rationes demonstrativæ.*

## QUID,

### *Sive quas rationes debet*

*præmittere homo, ne ejus judicium sit præjudicium?*

162. **P**Lurima hic interrogari possunt, quibus forte vix pauca respondeas.

*Primum* quæro an debeant præmitteri rationes omnes ad rem judicandum pertinentes? an tantum aliquæ? & quæ illæ, vel quot?

163. Si debent omnes præmitteri, nunquam hætenus mundus ulla in re tulit judicia, sed mera præjudicia, quia semper surgunt novi doctores, qui jactant se *novas rationes* rerum docere. Si hæ rationes revera novæ sunt, necesse est, eas mundo hætenus fuisse ignotas. Ergo mundus judicavit, antequam omnes rationes rerum sciret. Habuit ergo mera præjudicia.

164. Credibile est autem, etiam posthac futuros, qui novas rationes inveniant. Igitur hi ipsi doctores, qui nunc nova nobis promittant, adhuc ipsi versantur in *præjudiciis*; quia non novèverunt rationes deinceps invenendas, atque adeo, non novèverunt rationes omnes, & tamen de rebus judicant.

165. Adhæc videtur res per se absurda, & præcipue novis doctoribus contraria. Novi enim doctores contendunt, totam vitam humanam debere ordinari ad edendum, bibendum, se vestiendum, & reliquas actiones hujus vitæ. At si necesse est, in quolibet judicio de rebus appetendis faciendo præmittere, ac præcognoscere omnes rationes etiam demonstrativas, homo tota vita sua nunquam debet edere, vestiri, aut aliud agere. Nam usque dum ad unum solum judi-

judicium formandum inveniat omnes rationes, quæ possunt inveniri, annus abibit, aut anni decem, aut forte decem annorum secula.

Vehementer igitur suæ causæ nocerent novi sapientes, si ad præjudicia sananda juberent omnes rationes præcognosci.

166. Si tot præcise rationes præcognoscendas dicis, quot necessariae sunt ad prudenter judicandum; vellem ego hujus rei judicem, ac tribunal agnoscere. Si nullum das judicem, neque tu ipse debebis esse judex. Tu autem, ô philosophe nove, dicis alios laborare præjudicio, ideoque hoc dicis, quia alii non tot rationes, neque tales agnoverunt, quot ac quales tu scis, vel didicisti. Sic veniet post te alius, qui dicet, te ipsum in hoc judicio habere præjudicium, quia tu non agnoscis tot talesque rationes, quot qualesque cognoscit is, qui post te venit. Aut non permittis eandem in te libertatem aliis, quam permittis tibi in alios, & hoc ipso laboras præjudicio.

167. Si vero admittis quemquam in hoc negotio judicem, quis oro est ille? an Tu ipse, quisquis es nove? an potius modestè hanc provinciam recusas? an Pythagoras erit judex? sed

hic præjudiciis laborat. An Plato? An Aristoteles? Sed hic cum tota schola sua in præjudiciis natus, & sepultus est totus. An Zeno? An Diogenes? Epicurus? Cartesius? Wolffius? Spinoza? Hobbius? Spiritus legum? An vero Moïses? An Christus? An Mahumetes? An Confutius? Dic, oro, aliquid. Judice nobis opus est, ut sciamus quot, quasque rationes judicis præmittere necesse sit, ne *præjudicia* pro judicis feramus, & stolidi simus pro sapientibus.

168. Quemcumque vero judicem hujus rei admittas, sequitur, *auctoritatem* ad rite judicandum necessariam esse: judex enim ille auctoritate decidet rem, non ratione; quia ratione pugnetur in infinitum; & de rationibus pugna est; & pugna pugnam non componet.

169. Ex hac admissione tua sequitur etiam, Præjudicium non dici debere id, ubi auctoritas momentum habet; aliàs omnia erunt præjudicia; quia nullum judicium ferri poterit, nisi hæc saltem auctoritas accedat, quæ decernat, quot, ac quales rationes præmitteri debeant.

170. *Secundo* tam in speculativis, quam in practicis fere semper rationes contrariæ sunt, ita ut aliquæ stent pro re judicanda,

alia *contra* eam. Quæro, an solas rationes *pro* te sufficiat præcognoscere; an sint etiam præcognoscendæ rationes *contra*?

171. Deinde, si prænoscentiæ sunt rationes *contra*, siue rationes dubitandi, an sunt prænoscentiæ *omnes*? an aliqua tantum? & quæ illæ? an illæ tantum, quæ sponte nobis occurrunt? an studendum est novis, & simpliciter dubitandum de omnibus, ex lege Cartesii; etiamsi modo nullæ rationes dubium nobis generarint? Acuto certe Oedipo ad omnes has quæstiones solvendas erit opus.

172. Quid si de dubiorum solutione iterum veniat dubium atque iterum?

Quid si alii rationem tuæ contrariam atterant? Præjudicium tunc, an alter habebit?

173. *Tertio* cujus autem indolis debent esse rationes præcognoscendæ? An debent esse *morales*, petitiæ à sensu communi, auctoritate, experientia? Non, quia hoc est præjudicium laborare.

174. An debent esse mathematicæ? an demonstratæ methodo, si superis placet, rigorosa Wolffiana? An Aristotelica, an Lulliana? An ex principio Cartesiano? An ex Mallebranchii,

Lokii, Leibnitii, vel alio systemate?

175. An porro rationes debent esse *physicæ*? Aristotelis an Zenonis, Democriti, an Anaximenis, Thaletis an Hesiodi, Parmenidis an Epicuri?

176. Quam Herculeo opus erit labore, ut vel ab unico præjudicii actu te liberet, si Rationibus solis metaphysicis, Physicis, aut mathematicis decernenda res est. Si decides secundum Epicuri principia, Academici te dicent præjudicio laborare, ægrum esse. Si Academicorum ratione utaris, Epicuræi te præjudicio uti dicent. Idem tibi Aristotelico dicent Wolffiani: idem tibi Wolffiano dicent Aristotelici; quodque te vertas, præjudicii convitium in te exspuetur.

### UBI

177. **U**bi enim est illa schola, illa regio, illa natio, illud clima, ubi possis à præjudicio omni liberari, hoc est, ubi possis nihil judicare, nisi ante cognitum ac demonstratis rationibus intrinsecis?

Sed peccavi. In schola hæc ulla non discuntur: nam, qui in scholis discunt, præjudicio scholæ, præjudicio educationis laborant. Exuere ea debent, quæ in

in scholis condidicerunt, si sapere volunt.

178. Ergo non in scholis, sed saltem in sectis forte quærere hanc medicinam licet? Licet, ajunt, & invitant etiam. Invenies, qui te jubeant omnia judicia deponere, quæ adhuc habuisti, quia præjudicia sunt. *Naturalistæ* dicent: Tu hætenus credidisti Deum viis ordinariis & extraordinariis regere hunc mundum, & animos. Stultus fuisti; præjudicia infantie secutus es: erue te, & libera his omnibus. Natura, natura hæc facit; clima hæc facit, & nervi, & cutis.

179. Venient tibi *Stoici*, stultumque vocabunt, nisi fato transcribas omnia.

180. Venient *honesti pueri* cum suis Juris naturæ larvati doctoribus, & honestatem in socialitate, aut in essentia tua, aut in multiplicatione speciei te docebunt admirari; finem vero ac summum bonum ponere in commodis hujus vitæ, in continuo progressu ad majorem, & majorem perfectionem, hoc est in continuo exercitio naturæ tuæ. Reliqua jubebunt te permittere Christiano qua Christiano, à Te longe diverso. Christiani credunt res imperceptibiles antequam cognoscunt rationes metaphysicas, physicas & mathe-

maticas. Præjudicio laborant. Si tu es talis, sanare te debes, Christianismum deponere, imo penitus ejurare, quia rationes metaphysicas Dei Trini, Incarnationis, resurrectionis corporum, nunquam deprehendes tales, ut non de iis dubia tibi moveri possint.

181. Veniet tibi *Hobbius*, jubebitque jus, & justitiam ponere in voluntate hominum; Inquiet, Tu existimas, justitiam aliquam esse per se & æternam; quia passim ita vides doceri, & clamari; at tu tamen non antea cognovisti rationes, an talis aliqua justitia sit. Præjudicio teneris: *Æger* es, sana te ab hoc morbo. Depone opinionem hanc præjudicialem. Ego te docebo justum esse id, quod *volunt* homines. Pactis hominum denique nascitur jus. Vellent homines mendacium esse inter modos acquirendi, mendacium esset justum, vellent Thraces parricidia esse bona, bona essent & justa parricidia, quod volunt homines, justum est. Ecce doctrinam meam pulcræ positis præjudiciis, quæ tibi vincula & catenas injiciunt, & faciunt, ut *ignores te ipsum*. Consentiet, & utroque pollice laudabit auctor spiritus legum, quia præjudicium est, quod facit

hominem ignorare se ipsum, & ab hoc sanari debes.

182. Et tu lector agnosces, quo tandem abeant amicæ illæ hortationes sapientum hujus mundi de præjudiciis sine discrimine ponendis. Nectantum Religionis, sed totius vitæ civilis fundamenta subvertunt, qui *societatem* tamen velut idolum unicum adorare se profitentur, & hujus commodis carnis spiritum, religionem, DEUM sacrificant.

### CIRCA QUÆ?

*Sive, in qua materia rationes metaphysicæ &c. præmittenda sunt iudicio, ne sit præjudicium?*

183. **H**ortatores illi ancipites nos relinquunt, nec ipsi facile determinant materiam, in qua necesse sit præmittere rationes intrinsecas, aut in qua illud necesse non sit?

184. Videntur tamen potius velle, ut in omni materia id fiat, quia loquuntur plerumque generatim sine exceptione. Faciamus rei periculum.

185. *Primo*, estne certitudo rationum physicarum, ac metaphysicarum præmittenda in *rebus quotidianis* ad vitam pertinentibus? Et quidni? *Homo enim factus est ad*

*se nutriendum, vestiendum, dormiendum & reliquas actiones vite*, modo, ne ad contemplandum DEUM, ut primus invenit auctor spiritus legum. Igitur finis hominis consistit in se nutriendo &c. Quid autem magis interest hominis, quam attingere finem suum, ad quem natus factusque est? In re autem tanti momenti necesse est non errare, necesse est sanum esse. Præjudicia sunt morbus. Igitur in nutriendo, veste, somnoque capiendo, necesse est præjudicia non habere.

At præjudicium est, si iudicas antequam rationes physicas aut metaphysicas teneas: multo pejus est, si non iudices modo sic, sed etiam re ipsa secundum tale præjudicium agas & vivas. Igitur cibum, vestem, somnum capere, alia quotidiana agere, nisi prius teneas rationes metaphysicas, præjudicium est, morbus est, pellendus quamprimum.

186. Offert tibi servus aliquid, quod dicit esse panem. Iudicasne tu, hunc esse panem? Non sane debes ita esse in iudicando præceptis. Edic jam serve, unde demonstres, hunc esse panem? Jubebit te ille aspicere, palpare manu, olfactu explorare. At tu: sensuum hæc ludibria sunt, quis scit, num illudere mihi velis? metaphysicas ex te volo rationes

tiones, aut physicas, hunc esse panem. Sensus tantum ad singularia feruntur: singularia non cadunt sub demonstrationem, non sunt fixa, fluunt, transeunt, metaphysicam volo connexionem: alias, quomodo hoc, quod panem dicis, vescar? Factus sum ad me nutriendum: si hic non est panis, non servit ad finem meum: non possum exponere periculo finem meum: non possum iudicare hunc esse panem, minus possum eundem re ipsa sumere. Præjudicio enormi me obstringerem, si tua auctoritate, qui servus es, starem in re tanta.

187. Idem autem contingere homini debet in quovis cibi ac potus genere, ne pro vino toxicum, pro pharmaco bibat mortem, pro veste induat Nessi tunicam, pro myrothecio aperiat Pandoræ pixidem, pro lecto se conjiciat in fossam, ne pro equo admittat Sinonis fraude tectos hostes, pro pisce scorpionem.

Eodem modo nemo se componet ad somnum, nisi prius demonstratum ipsi sit, hunc somnum sibi serviturum ad vitam, & se de illo somno surrecturum vivum. Sic nemo urinam (amentis illius ritu) mittet, metu, ne cum illa effluat anima, aut ne tota civitas inundetur: nemo enim rationibus metaphysicis illi facile

sive hoc, sive aliud demonstrabit.

188. Hæc si valent, debebimus pro domibus deinceps ædificare morotrophia, & mundus totus ex hac philosophia paulo post erit unum grande morotrophium. Adeo sunt misera istorum sapientum, si superis placet, principia, & vægrandis sapientiæ fundamenta.

189. *Secundo* videamus, num certitudo rationum Physica, aut metaphysica habenda ante iudicium, & actionem sit in *rebus civilibus*, in mercatu, in foro iudicario, connubiis, parentela, servitiis, principatibus, bellis, in agricultura, venatu?

190. Equidem in universum existimo (quamvis hoc mihi mathematicè demonstratum non sit) universum mortalium genus risu, & sannis excepturum esse hominem, qui hoc contenderet. Proptereaque derisi sunt philosophi, qui aliquid huic stultitiæ simile somniarunt, quibus fœnum pro pane porrexerunt eorum derisores.

191. Si quis nihil emat, quod non physice sit demonstratum; si quis nullam, nisi hoc modo, plantet arborem; nullum agnoscat filium suum, nisi ita demonstratum; si nullam à iudice accipiat sententiam, nisi mathematicè demon-